

# FERRARIA

## DUCATUS



Itiones Pontificis Maximi, five sedis Apostolicæ, descripturus, initium faciam; ut in aliis, ab occidente, ubi primum occurrit FERRARIENSIS Ducatus, qui ab oriente habet mare Adriaticum, à meridie Bononiensem agrum cum Romanula, ab occidente comitem Mirandulanum, à septentrione autem Polecinium Rhodiginum.

Termini.

Ferraria  
Nomen.

Ferrariæ unde nomen datum, valde variatur. Quidam à *Frattis*, quæ lingua vernacula *Virgulta*, *Prunæque Silvestria*: nonnulli à *Fabro* quodam *Ferrario*: sunt qui à *Ferro* derivant, quotannis ab incolis olim census nomine Ravennatibus pendendi solito; uti *Argenta* ab *Argento*; *Auriolum* ab *Auro* præstando. Veritati maxime consentaneum, *Ferrariam* nuncupatam ab *Ferrariola*, quæ trans Padum erat, colonis huc ex Theodosii Imperatoris decreto translatis, anno cccc xxxiii: quo tempore vicus fuit absque muris ab Smaragdo Exarcho, circa annum 10xcv fossa mœnibusque septus; paulatimque ita auctus, ut tandem in nobilissimam civitatem commutatus fuerit; vetere Præfulatu ab Vitaliano P. M. huc circa annum 10clviii traducto; aliisque duodecim pagis finitimis illi subiectis ab Constante II Imperat. qui multa ipsi largitus est privilegia. Hodie *Ferraria* audit. Conditam ab *Trojanis* cum *Murina*, *Cremona*, *Ateste*, *Vicentia*, *Placentia*, *Verona*, *Aquileja*, *Concordia*, *Mantua*, & aliis, adferit ex novitiis scriptoribus *Gabriel Venetus*. Adfiderit ripæ *Padi* amnis, quo qua Ortum Austrumque respicit, adluitur. Cœlum ipsi crassius, ob situm palustrem. Plateas habet rectas, longas, amplas, quarum plerasque *Leonellus Marchio* primum coctis stravit lateribus. Aedificiis cum publicis, licet non magnis; tum privatis supra modum est ornata. Maximum est urbis *Fanum*. *Arx* illi duplex, una ad flumen, altera è regione *S. Georgii*, *Ducis* sedes; utraque satis munita. *Populo* frequens, rebus ad vitam necessariis abundat. Non inamœna inter primas *Italiae* urbes merito censenda; caput sedesque *Ducatus Atestinæ* familiæ, nobilitatis & antiquitatis stupendæ: sub qua inclyta gente maxime *Nicolao* tertio, & *Hercule* primo, mirifice crevit cum opibus, tum aedificiis publicis, adeo ut de hujus urbis laudibus non fide poëta egregius *Iulius Cæsar Scaliger* cecinerit:

*Inclita, quæ patulo fruitur Ferraria cœlo,*  
*Reginas rerum limine ditat aquas.*  
*Italia.*

*Aurea nobilitas, studiorum nobilis oçi*  
*Ingenia, audaci pectore prompta manus;*  
*Magnanimique Duces, genus alto è sanguine Divum:*  
*Perfugium profugis mœnia sancta viris.*  
*Vos me luctificæ redeuntem è stragis acervis,*  
*Quos vetus ex ima sede Ravenna gemit;*  
*Germano in pugna amisso, fortique parente,*  
*Quo matri victæ vita dolore fugit;*  
*Ornatum elogiis, decoratum nomine regum,*  
*Auctum Felsinea restituitis ope.*  
*Salvete Heroes, & quæ sanctissima tellus,*  
*Fratrique ac matris, patris & ossa tegis.*

Familias habet celebres & opulentas. Legitur olim in fide fuisse *Cæsarum*, *Pontificum Romanorum*, & *Exarchorum*. His aliquoties auxilio fuit contra *Langbardos*, quorum Regem *Desiderium* quum *Karolus Magnus* debellasset, opidaque *Exarchatus Romano* tradita essent *Pontifici*, hæc *Cæsareo* fere paruit Imperio: dein circa annum 1101 ab *Henrico III Imp.* bello subacta, & *Matilda Comiti* adtributa, ab eaque rursus *Pontifici Romano* donata, & aliquamdiu possessa; tandem circa annum 110xcv *Marchionum Atestinorum* subdita est imperio, rursusque anno 110xcviii *Clementis VIII, P. M.* opera *Sedi Apostolicæ* restituta. Concilium hic celebrarunt *Eugenius III, P. M.* anno 110ccccxxviii; cui *Græcorum Imperator Ioannes Palæologus* & *Iosephus Patriarcha Constantinopolitanus* interfuere. Gravi terræmotu concussa est anno 11010lxx, & intra bidui spatium prope funditus vastata. *Academiam* ibi instituit *Fridericus II Imperator* in *Bononiensium* contumeliam. Floruerunt in ea magna ingenia: *Angelus Aretinus*, *Bartholomæus Salicetus*, *Felinus Sandeus*, *Andreas Alciatus*, *Guarinus Veronensis*, *Theodorus Gaza*, *Cælius Calcagninus*, *Baptista Guarinus*, *Nicolaus Leonicensis*, aliique. *Bibliotheca* est apud *Carmelitas*, non contemnendam habens veterum codicum copiam. Nobilitarunt urbis nomen *Viri maximi*: *Antonius Beccarius*, *Scodraeus Episcopus*, *Ordinis Prædicatorum* monachus; *Felinus Sandeus Episcopus I. C.* *Hieronymus Savonarola*, *Franciscus Silvester*, summus Antistes *Sodalitatis Prædicatorum*; *Io. Maria Riminaldus*, *I. C.* *Peregrinus Priscianus*, patriæ Illustrator, *Ludovicus Ariostus*, Poëta, Auctor *Orlandi Furiosi*, cujus Epitaphium apud *Benedictinos* tale est:

*Hic Ariostus est situs, qui comico*  
*Aures sparsit theatri urbanas sale,*  
*Satyræque mores strinxit acer improbos,*  
*Heroa cultu qui furentem carmine,*  
*Ducumque curas cecinit, ac prælia,*  
*Vates corona dignus unus triplici,*  
*Cui trina constant, quæ fuere vavibus*  
*Grajis, Latinis, vixque Hetruscis singula.*

Familie.  
Res gestæ.

Academia.

Bibliotheca.

Clari Viri.

Ager.

Cælius